DE

INCUBO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN UTRAQUE MEDICINA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
PUBLICE DEFENSURUS EST
DIE XII. M. SEPTEMBRII A. MDCCCXXVII
H. L. Q. S.

AUCTOR
IOH. CHRIST. FRIEDERIC. ADLER
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
H. BRAUNE, MED. DR.
W. MENZEL, MED. DR.
N. GERSON, MED. DD.

BEROLINI.
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

J. BÜTTNER

MEDICINAG ET CHIRURGICAE DOCTORI, MEDICO-CHIRURGORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, INSTITUTI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI: ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. VLADIMIRI, NEC NON ST. ANNAE, ORDINIS REGII SUECICI VASANI, ORDINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO ETC.

NEC NON

VIRO

EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO

SUMME VENERANDO

CAROLO KRAPPE

SERENISSIMAE REGIS BORUSSORUM MAIESTATIS

IN REBUS BELLICIS CONSILIARIO

FAUTORIBUS BENEVOLIS

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

TANQUAM

VENERATIONIS INTIMAE TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Circumspicienti mihi, quid e tamta tamque multifaria medicarum disciplinarum sylva ad inauguralem dissertationem aptum desumerem, atque incerto haerenti, quale thema eligerem, de incubo tractare in mentem venit. Quem ideo non in omnibus medicorum compendiis nosologicis inveniri puto, quod pristina barbara superstitio, nostri vulgi more, eum a daemonum maleficorum influxu ortum docuerit, et quod eo laborantes rarissime medicum in auxilium vocaverint, et ipse rarius sat observatus sit; denique vero, quod cum aliis morbis praecipue nervosis tam intime coniungatur, ut a plurimis pro illorum tantum symptomate habitus sit. Cum autem multo maior hominum copia ei obnoxia sit, quam credere solent, atque ipse, saepius, multa complicatione stipatur, phaenomenis mirandis haud careat, iure forsan hic morbus licet peculiaris singulari medi-

tatione haud indignus videtur. In quo describendo omnibus auxiliis, quae mihi in promptu fuerant, diligenter usus sum, ne quid de hac et medicis et laïcis mira affectione notatu dignum ommitterem. Quantopere vero id mihi successerit, Te, lector benevole, humaniter dijudices, atque huic medici tironis operi indulgeas, maxime oro rogoque.

§. I.

Incubus vel Incubo, Graece: ἐπιάλτης vel ἐφιάλτης (ab ἐπιάλλειν vel ἐφιάλλειν insilire) ἐπιβολὴ, (ab ἐπιβάλλειν adiicere) πνιγαλίων (a πνίγειν suffocare) πνίγμος ἐνύπνιος (suffocatio nocturna) Dioscoridis 1) Oneyrodynia gravans (dolor in somnio gravans) Cullenii, Asthma nocturnum et Epilepsia nocturna Galeni, Germanice. Alp. Alpmaare, Trute, Nachtmaare, Nachtmännchen, Gallice: Cauchemare, Cochemar, Anglice: Nightmare, Polonice: Mare, in suffocationis seu ponderis et oppressionis perceptione semisomnos offendente constat, cum desiderio locum mutandi, quin aeger id efficere queat.

---

1) Quae nomina symptomati singulari, oppressioni nempe, originem debent.

Qui de morbo isto scripsere auctores:

Caelius Aurelianus, de morbis chronicis. Lib. I. cap. 3.

Paulus Aegineta, Lib. III. cap. 15.

Oribasius, Synopsis Lib. VIII. cap. 2.

Willisius, de anima brutorum.

Bonnetus, Sepulchretum anatomicum. Tom. I. sect. 5.

Henricus Regius, Praxeos Lib. I.

Paracelsus, de morbis amentium Cap. IV. p. 571.

Dolaeus, encyclopaedia medica. Cap. XIII.

Forestus, Lib. X. obs. 50 et sqq.

Horst in Schenkii observationibus.

Stoll, praelectiones in morbos chronicos. p. 332.

Cullen, systemat. Eintheilung der Krankheiten. Bd. 1. p. 349.

Sauvagesius, Nosologia methodica. Tom. III. pag. 176.

Sagar, Systema morborum. Tom. II. p. 127.

Linné, Genera morborum definita.

R. A. Vogel, Definitiones generum morborum

Darwin Zoonomie. Th. II. Abth. 1. p. 742.

Reil Fiberlehre Bd. IV.

G. A. Richter specielle Therapie. chr. Krankh.

Ios. Frank, Praxeos. medicae universae praecepta. Tom. III.

atque non ommittendae nonnullae dissertationes:

J. Müller diss, de ephialte Lips. 1688.

Meinecke diss. de incubo. Jen. 1683.
Hasselt, diss. de incubo. Ien. 1646.
C. Wenzlovius diss. de incubo. Francf, 1661.
P. Georgi de ephialte. Ien. 1658.
Ruttörfer diss. de incubo. Ien. 1665.
Schibowski diss. de incubo.

Morbum et veteribus non incognitum fuisse ex eo conspicunm fit, quia Romani idem, quod nostrates geniis quibusdam maleficis noctuque vagantibus tribuunt, Faunis sive daemonibus lascivis, incubis succubisve adscripserint, unde incubum et succubum illum appellari invenimus 1).

Diagnosis.

§. 2.

Incubus insomniis, pavoribus, concussionibus, somniis terrificis, artuum formicatione aut torpore, animi agitatione et perturbatione annunciari solet, nec raro sensatio peculiaris, quasi membra vento afflarentur, aurae epilepticae non absimilis, antecedit.

1) Sauvagesius l. c. — Ruttörfer l. c. cap. I. veteres morbum feminarum incubum marium autem succubum denominavisse memorat.

Cuius symptomatum essentialium seriem sensatio ingrata, status ille peculiaris medium inter somnum et vigiliam tenens et motus voluntarios inhibens constituit.

§. 3.

1) Quod primum sensationem ingratam adtinet ipsa e cruribus, columna vertebrali praecordiis capite aut pluribus aliis locis emanat, et perceptione ponderis, suffocationis, oppressionis consistit, quae nunc super universum corpus extensa, nunc ad praecordia circumscripta est. Attamen sensatio illa multo variatur; alii enim strepitu aut tinnitu aurium, alii sensatione peculiari afficiuntur, quasi ventus uuiversum corpus permeat, eoque membra et fibrae singulae vellicantur; alii in cruribus dolorem quasi acu pungente vel canis morsu productum percipiunt.

Cui perceptioni phantasia varias caussas assignat. Cum enim plerumque aegroti pectoris oppressione teneantur, canem, vel ursum vel leonem, vel gigantem vel virum nigrum vel faunum vel satyrum vel spectrum vel sagam vel diabolum pectori insidere idque comprimere opinantur. Mulieres interdum sensatione angente simulque voluptatem incitante laborant, eodem modo ac si cum viro forti et robusto in amplexu fuerint. Sed et viros, incubone oppressos, ad usum turpissimae

libidinis excitari, observatio ab Henrico Regio 1) relata docet. Dolacus 2) de viro narrat, qui singulis noctibus, dum somuo indulgebat, sensilem mammarum suctionem, veramque papillarum intumescentiam experiebatur. Alii in regione pubis peculiarem dolorem spasticum et tendentem quasi a globulo tormentario premente accusant; alii se a tergo comprehendi universumque corpus convelli sentiunt; alii cum gigantibus, daemonibus aut monstris luctantur; alii in aedibus incensis versari aut in naufragio vitae periculum subire timent. Reil 3) aegrum memorat, cui semper manus alterutra splendidissimo fulgore nitere videbatur, quamquam altero solummodo oculo eam intueretur, mox quoque bene dignoscebat, se non suam propriam sed imaginariam vidisse.

Durante paroxysmo oppressiones et dolores sensim increscunt simul cum pavore et imaginum terrore, unde etiam aegris videtur, monstrum vel spectrum primo cubiculum intrare et lectulum aggredi, deinde stragula attrahere, lectum inscendere, postremo pectori insilire et suffocationis periculum afferre; sic quoque alii prius venti susurru deinde procella agitari se sentiunt. Raro illa sensatio summa vehementia incipere aut ad finem usque perdurare, neque paullulum decrescere solet.

---

1) l. c. 2) l. c. 3) l. c.

Plerumque simul respirandi difficultas non deficit, praecipue pectoris oppressioni obnoxiis, et quibus respiratio anxia, anhelosa, suspiriosa evadit. Dubium vero est, utrum illa respirationis offensio invito aegro fiat, an anxietate et pavore efficiatur. Illa tamen animi affectio, qua non solum cordis motus incitari sed etiam sanguinis copia in pectore accumulari solet, anhelationi magis quam inertiae musculorum pectoris, qui potius respirationis necessitate quam sponte stimulari solent, caussam tribuere videtur.

Pulsus saepissime regularis interdum vi et complicatione morbi alienatur 1).

§. 4.

2) Deinde quoad animi statum, notandum est, aegros utplurimum se somniare conscios esse, et in eo somnum a sano vero multo differre. Rite enim dormiens se somniare nescit, et quamvis non raro se aliorrum familiaritate uti, et in exteris regionibus se versari putet, personamque alienam se ferre videat, illas visiones nihilominus pro veris habet, usque dum surgat. Incubo vero of-

---

1) Darwin ipse, qui incubum a sanguinis congestione ad pectoris organa prodire contendit, se in arteriarum pulsu nullam alienationem animadvertisse affirmat.

fensus de imaginum et visionum veritate non plane sibi persuasum habet, et etiamsi interdum an somniet vigiletne dubitat, tamen saepius se in lecto decumbere agnoscit, atque situm mutans phantasmata terrentia effugere tentat 1). Quandoque aeger summa animi attentione accessionis symptomata et imagines explorare studet, easque eadam serie, eadem forma, eadem atrocitate ut antea reverti, ipsamque scenae finem anxius et impatiens exspectat.

§. 5.

3) Tertium symptoma, quod voluntarius motus inhibitus est, non ab organorum motus vitio sed a vi voluntatis depravata ut catalepticis oriri videtur, neque somuo solo neque lassitudine incitatur. Dormiens enim licet maxime defatigatus levissima incitatione, e. g. musca titillante membra agitare conatur; dum vero incubo oppressus, hostem debellare vel fuga sibi consulere tentans, facultate clamorem edendi, excepto interdum gemitu, seque in alterum latus convertendi plane

1) Schenkius vero de sacrifico quodam incubo laborante narrationem tradit, cui semper se non somniavisse, sed a muliercula, illi non ignota, quaque nocte se compressum et strangulatum vidisse persuasum erat, qui tamen falso refutato morbum erroremque agnoscere et paullo post sanationis spem fiduciamque concipere coepit.

caret, atque expergefactus in eodem situ, quo decubuerat, jacentem se invenit, quamquam paroxysmo durante sese movisse putaverat.

§. 6.

Incubus his descriptis symptomatibus insignis intermissionibus utitur, ejusque paroxysmi primo somno, raro mane, ingruere solent. Plerumqùe hanc formam induunt, interdum vero ubi morbus inveteratus et gravior fit, ita compositi sunt, ut quivis eorum ex plurimis conjunctus sit, et ex intermissionibus remissiones reddantur, quibus durantibus aeger non nisi rarissime expergefiat. Qualem paroxysmum sex imo decem aliis compositum Reil se observasse contendit.

Paroxysmus subitanea et perfecta evigilatione terminatur, omnibus enim symptomatibus ad summum gradum usque elatis aegroti peculiari totius corporis percussione aut commotione plerumque suscitantur. Expergefacti et simul omnium corporis animique facultatum, aeque ac in statu sano, compotes, paullo post quiete et profunde obdormire et bene valentes exsurgere solent. Interdum tamen paroxysmum capitis, pectoris aut universi corporis sudores, lassitudo, tremor artuum, aurium tinnitus, capitis dolores, cordis palpitationes, maculae lividae 1) insequuntur, et postero die

---

1) Germanice Alpenflecken, vid. Schmalz Versuch einer med.-chir. Diagnostic xxxvIIj 6.

aegroti male se habent, et nonnullis nervorum affectionibus premuntur; quae incommoda secundaria morbum complicatum et invetaratum comitantur.

Raro paroxysmus ultra paucas horae minutas durare solet, quem tamen ad duas et tres horas protractum invenimus 1).

Impetuum intervalla pro varia nervorum constitutione, morbi vigore et caussis efficientibus maxime variantur. Redeunt enim nunc quavis nocte vel hebdomade aut quovis mense, nunc semel per annum observantur, nunc alii aegroti alio anni tempore incubo magis obnoxii. Quandoque morbus regularem febrium intermittentium typum induit 2).

§. 7.

Incubus semper sporadicus obvenit. Silimachus 3) tamen contagione quadam plurimos ista passione veluti lue apud urbem Romam confectos memorat. Eamque in abbatia quadam Calabriae epidemicam versari referunt 4).

Quem morbum quoque hereditarium fieri, non dubitandum videtur, siquidem morborum disposi-

1) Ephem. societ. Nat. cur. Dec. II. ann. 5. obs. ccxx.

2) Forestus l. c.

3) Caelius Aurelianus l. c.

4) Dictionn. des Sciences medical. Art. Incube, pg. 309.

tionem praecipue nervorum tantoties hereditate propagatam invenimus.

Plurimum solitarius est, interdum tamen abdominis passionibus, plethora, hydrocephalo, epilepsia, catalepsia et aliis nervorum affectionibus stipatus.

§. 8.

Aetate provectiore, qua nervorum facultates maiore firmitate gaudent, morbus sponte evanescere solet, quem tamen quoque criticis quibusdam moliminibus, haemorrhagiis, epistaxi, menstruis, haemorroidibus aboleri a nonnullis observatum legimus, quod saepius iis accidit, qui plethora et sanguinis fluxu retento laboraverunt. Punine 1) de aegro, a decimo tertio aetatis anno incubo affecto, historiam narrat, qui, postquam omnis generis remedia contra hunc morbum incassum assumserat, febre biliosa et insequenti tertiana superatis, eo plane vacuus fuit. Interdum tamen et in morbos nervorum graviores, e. g. cordis palpitationes, spasmos, epilepsiam, imo apoplexiam transit.

Lethalis exitus vero potius organicis affectionibus et complicationibus tribuendus videtur.

---

1) Richter med.-chir. Bibl. XI. Bd. pg. 347.

Aetiologia.

§. 9.

De caussa proxima, quod ad hanc spectat, auctores non omnes inter se conveniunt, et definitiones huius morbi valde differunt. Quem enim Galenus epilepsiam nocturnam vel asthma nocturnum nominat, Caelius Aurelianus epilepsiae tentationem refert. Bonnetus non dubitat, quin morbus sero aut sanguine in cavis cerebri accumulatis incitetur; Cullenius eum oneyrodyniam gravantem vocat, quo nomine somnium ex sensu pondoris alicuius incumbentis et pectus praecipue opprimentis intelligit, cui opinioni plurimi auctores favent.

Nihilominus tamen in incubo conscientia plane exstincta est, ut in epilepsiae impetu, nec semper respiratio ita offensa, ut morbum cum asthmate commutari liceat. Deinde incubi accessiones nimis transitoriae, saepius quoque tam levioris indolis esse solent, ut a sero aut sanguine in cerebro produci nequeant; neque istorum fluidorum accumulatio in capite tam repente oriri et resolvi potest. Denique vero incubum somnium non esse ex eo iam elucet, quod somnians se somniare semper nescit, cuius iucubo offensus conscius esse solet.

Darwin caussam proximam vasorum irritabilitati, aut animi aut corporis actionibus aut ventriculi ciborum nimia impletione exhaustae attribuit, qua sanguinis circulantis mora et stagnatio in pulmonibus et inde pectoris oppressiones dolorificae efficiantur. Qua ratione quidem pectoris oppressiones, sed non incubus declarari potest, qui non raro omni anhelatione vel omni pectoris affectione caret; an ex ea forsan illa motus inopia explicanda sit, dicere non audeo.

Jure igitur, ni fallor, Reil caussam proximam a nervorum incitabilitatis quadam intemperie deducit et re vera ipsa incubi symptomata singulari systematis nervorum eiusque centri, cerebri nempe, affectione originem debere videntur, cui ille morbi sedem assignat. In eo vero magis audauctae vis electricae phaenomena conspicua evadere, quod ille opinatur, non observatum est, quamquam non dubitandum videtur, quin vis galvanica maxime vigeat.

§. 10.

Incubus non solum in corporis sed etiam animi affectione consistere et inter maniam et catalepsiam medium tenere videtur, quippe qui visiones et phantasmata promit et aeque ac catalepsia motum voluntarium impedit. Differt tamen a mania, quod ei aegri sub somno succumbunt, eius accessiones breviores evigilatione per-

fecta terminantur, et tum demum aegri omnium animi facultatum compotes se gravi somno laborasse intelligunt, eiusque imaginum plane conscii fiunt. A catalepsia vero dissidet conscientia magis irritabili, quo fit, ut aeger strepitu aut corporis coucussione facile suscitetur.

Cum ita morbus peculiari nervorum conditioni adstrictus sit, nil mirum videtur, hystericis aut hypochondriacis passionibus laborantes, tenere et graciliter constructos, menstruis anomalis affectas eï magis succumbere. Sic quoque spiritum aegre ducentes, adolescentes saepius quam viri, quandoque etiam pueri 1) eï obnoxii sunt.

Quodvis nervorum irritamentum dispositioni ansam praebet, in primis animi affectiones deprimentes, nimiae intentiones, lymphae, seri, senimis et sanguinis profluvia, vermes.

Caussis occasionalibus paroxysmum citantibus prae caeteris adnumeranda sunt: nimia animi aut corporis agitatio aut defatigatio, coena immodica vel nimis sera, somnus de prandio, ebrietas, tegumenta nimis calida, seminis pollutiones et frequens coïtus exercitatio. Pectoris oppressioni obnoxii facile paroxysmo tentari solent, cum in dorso, capite retrorsum declinato, decumbant, quo fit, ut sanguinis refluxus a capite impediatur, du-

1) Ut Punine l. c. observavit.

rae matris sinus posteriores distendantur, sanguinisque copia cerebrum comprimatur. Denique vero etiam quovis alio corporis situ, vel in latere vel capite erecto, paroxysmus occurrere potest.

Divisio.

§. 11.

Pro variis caussis efficientibus et complicationibus incubum in diversas species distinctum invenimus 1).

1) Incubus plethoricus, ex signis plethorae manifestus, oritur a calore lectuli, stragulorum pondere; accidit saepius supine decumbentibus et profluviorum suetorum suppressione laborantibus.

2) Incubus stomachicus, gastrosi complicatus, crapula vel ingluvie praegressa effectus, magis pueris familiaris.

3) Incubus hydrocephalicus, qui hydrocephali potius symptoma videtur.

4) Incubus verminosus, ex signis vermium perspicuus.

5) Incubus tertianus, tertianae febris instar

1) Vid. Sagar, Sauvages, Linné, Cullenii opera. l. c.

recurrens, nonnullisque huius symptomatibus stipatus.

6) Incubus hypochondriacus seu pathematicus, qui hypochondriacis et melancholicis tristitia, moerore, metu, amore et aliis pathematibus accidit.

Pro morbi indolis ratione autem incubus dividitur in sthenicum, plethorico non absimilem, qui plethorae associari et plurimum suppressis haemorrhagiis effici solet, signisque virium vitalium augmenti, quo nervorum facultates magis impediri quam solvi possunt, annunciatur; et in asthenicum, a mera nervorum debilitate ortum, hysteria et hypochondria vel simili affectione productum, quem alii hypochondriacum aut pathematicum vocant, quippe qui levissimo animi pathemate aut nervorum irritamento producitur.

Prognosis.

§. 12.

In prognosi sistenda primum ad symptomatum dignitatem eorumque rationem respiciendum. Incubus enim levi paroxysmo et rarius incedens apta vivendi ratione et prohibetur et sanatur, quo frequentior vero paroxysmorum reditus et perniciosior symptomatum indoles, eo difficilior curatio. Si vero accessus sudores universales aut pec-

toris vel capitis, nimiam lassitudinem, debilitatem, tremores artuum, maculas lividas faciei, cordis palpitationem relinquunt, transitus incubi in maniam, epilepsiam, catalepsiam imo paralysin et apoplexiam suspicandus est. Quandoque tamen haemorrhagiis aut febribus solvitur. Quo facilius caussae efficientes amovendae, eo promptior sanatio; ubi vero caussa vitiis organicis cordis, pulmonum, cerebri, aut ipsi hydrocephalo tribuenda, prognosis mala sistenda. Sic quoque sthenica morbi indoles facilius coërcenda, quam asthenica corrigenda.

Curatio.

§. 13.

Curatio praesertim ex iis, quae ad curandas nervorum affectiones requiruntur, erui potest. In paroxysmo ipso ab omnibus remediis abstinendum. Caeterum aeger omnia, quibus paroxysmus incitari queat, vitare, a coena se abstinere, loco frigido, in lectulo tegumentis levioribus impositis decumbere, animi et corporis facultates non nimis intendere, libidinosam voluptatem deprimere debet. Ubi vero paroxysmi frequentiores redeunt, e somno excitatio maxime iuvat. Bonnetus enim noverat quendam incubo olim maxime obnoxium,

virum alias robustum et satis sanum, qui per duos annos nunquam in dorsum conversus dormivit, quin simul affectu isto corriperetur, adeo ut necesse haberet, servum contubernalem in eodem lecto decumbentem admittere, qui gemitus et suspiria, quibus affectus iste incipere solebat, exaudiens ipsum in latus alterum converteret, quo factum est semper, ut insultus illi praecaverentur.

Quaevis corporis passio incubo inclinis tollenda est, quo fere semper morbus ipse frangi solet. Incubo stomachico emetica et laxantia conveniunt, cui etiam, dum vires conconctionis ventriculi languent, victus commendetur parcus; aeger a coena nimis lauta, carnibus praecipue ferinis, vino et liquoribus spirituosis sese abstineat, nec non remotis caussis externis amarorum et stomachicorum, Rhei c. Magnesia nempe, Traraxaci, Calami aliorumque usus et frictiones abdominis prosunt. Wallerus kali carbonicum et ammonium carbonicum laudat.

Vermes anthelminthica exposcunt.

Hydropicae et quaelibet aliae passiones humorum circulationem impedientes derivantia exigunt, hydragoga imprimis, resolventia, diuretica; quandoque setacea, fonticuli, ulcera arte facta levamen afferunt. Sagar virum quinquaginta annorum hydrocephalo interno laborantem curavit, qui quolibet somno terrifico incubo premebatur, catharti-

cis et phlebotomia praemissis, auribus fomenta emollientia calida apposuit, et post novem dies effluxere aquae ad librum unam et sanatus fuit.

Suppressae haemorrhagiae restitutionem poscunt.

Incubus vero epilepsiae catalepsiae aut aliis nervorum passionibus coniunctus, pro symptomate solum habendus, qui omnia remedia in eas affectiones laudata requirit, et illis sanatis evanescere solet.

Incubo febribus intermittentibus associato, vel typum tertianum regularem febrium intermittentium instar induenti, febrifuga, China et Opium conveniunt.

§. 14.

Quod tandem morbi indolem attinet, sthenica semper antiphlogisticam methodum exposcit, ad quam spectant sanguinis missiones, quae congestione aut plethora laborantibus prae caeteris conveniunt; laxantia frigida, arcanum duplicatum, Sal mirabile Glauberi, cremor tartari et alia. Sanationem quoque promovent victus vegetabilis, potiones diluentes, aqua frigida non modo interne sed et externe adhibita, abstinentia a coena et decubitus in latere dextro, capite magis erecto, quo non solum cibi facilius per pylorum in intestina transire, sed etiam sanguinis undae minus impeditae per sinus durae matris ad fontem redire possunt.

Asthenico incubo irritantia et nervina succurrunt, quippe qui nervorum debilitate et infirmitate effectus et hystericis affectionibus stipatus est. Iste antihypochondriacis et antihystericis remediis fugari potest. Huc omnino resolventia amara, Valeriana, Castoreum, Oleum animale foetidum etc. balnea tepida, pediluvia, capillorum tonsio, capitis frictiones frigidae vel spirituosae, immersiones et instillationes aquae frigidae in caput et alia similia pertinent.

VITAE CURRICULUM.

Ego Johannes Christianus Fridericus Adler anno millesimo septingentesimo nonagesimo nono die decimo quinto mensis Decembris natus sum, patre Ioanne Adler et matre e gente Hildebrandt. Undecimo aetatis anno primis litterarum ingenuarum rudimentis instructus in gymnasium regium gallicum Berolinense, tunc tempore beato Ermanno rectore florens, missus, per septem annos tum veteribus tum recentioribus linguis, et physicis et philosophicis disciplinis operam navavi. Anno millesimo decimo sexto in numerum alumnorum regii seminarii medico-chirurgici Fridericiano - Guilelmini receptus sum, ibique per octo semestria omni qua potui diligentia in medicinae et chirurgiae disciplinas incubui. Quo tempore praeterlapso in nosocomio charitatis Berolinensi per annum aegrotorum lectulis assidens exercitationibus practicis operam dedi.

Praelectiones virorum eruditissimorum, quorum memoria semper grato animo mihi erit colenda, hae sunt: Interfui praelectionibus philosophicis beat. Kiesewetter; audivi encyclopaediam scienscientiarum naturalium, historiam naturalem, botanicen, et toxicologiam ill. Link, zoologiam ill. Turte, chemiam ill. Hermbstaedt.

Osteologiam, splanchnologiam ill. Knape, encyclopaediam medicam, anatomiam universam, entozoologiam ill. Rudolphi mihi tradiderunt. Artem cadavera rite dissecandi ill. Knape et ill. Rudolphi me docuerunt. Physiologiam et materiam medicam ill. Osann frequentavi. De pathologia generali de semiotice ill. F. Hufeland; de pathologia speciali, de curandis morbis syphiliticis ill. Horn disserentes audivi. Therapiam generalem et specialem ill. C. W. Hufeland et F. Hufeland mihi exposuerunt. Chirurgiam generalem et specialem ill. Graefe ill. Rust et ill. Kluge, akiurgiam beat. Mursinna, ill. Graefe et ill. Rust, ophthalmiatricen ill. Rust audivi. Artem fascias rite imponendi beat. Mursinna et ill. Kluge, et doctrinam de formulis medicis concinnandis, nec non medicinam forensem ill. Knape mihi tradiderunt. In arte obstetricia tam theoretica quam practica aeque ac in curandis fractis et luxatis ossibus ill. Kluge praeceptorem habui. Exercitationibus clinicis tum medicis tum chirurgicis ill. Hufeland, ill. Neumann,

et ill. Rust interfui. Praeterlapso hoc lustro anno millesimo octingentesimo vicesimo primo ad exercitum missus, ibique ab eo inde tempore chirurgi militaris munere functus sum.

Tentamine et examine rigoroso coram gratiosa facultate medicorum Berolinensi rite superatis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Crusta inflammatoria inflammationis signum pathognomonicum non est.

II. Amputatio exarticulationi praeferenda.

III. Ptyalismus non morbus sed morbi effectus est.

IV. Calomel non est antiphlogisticum.